

5. — « Cum obticeret, » inquit Lucas Brugenſis, « Samaritanus non ſolum gratus, ſed etiam « modestus, qui venerat ſuo functurus officio, non « accuſaturus alios, Jeſus reverſus ab illo ad diſci- « pulos ſuos ac turbam, inquit : *Non eſt inventus, « niſi hic, etc.* » Ex quibus agnoſcitur nimia grati- « tudinis prerogativa et meritum, utpote quam Filius « Dei non tantum in conſpectu collegii Apoſtolicum, « ſed et coram univerſo mundo tantopere deprædica- « vit.

6. — Advertit præterea idem auctor omnes « hoſce leproſos Chriſti præceptis ſeſe obedientes « exhibuiſſe, veri namque ſimile eſt, eos adieſſe tem- « plum, ut ſe Sacerdotibus ſiſterent; ſed aberrarunt « in eo; debebant etenim, ſuſpenſa aliquantiſper ad « templum protectione, cum Samaritano redire ſu- « bito, gratias acturi benefactori ſuo pro collato « ſanitatibus beneficio, et poſtea Jeruſalem verſus, iter « ſuum repetere : « Atqui puduit eos ad Jeſum « redire, et publice fateri ſe leproſos fuiſſe, cum « mallent quam minime ſciri, et morbi memoriam « quam primum exſtingui, gloriam Dei ſuæ vere- « cundie poſt habentes; quare taxat eorum ingra- « titudinem Chriſtus, quod divinam erga ſe benefi- « centiam clam habere, et tantum Dei beneficium « celare ſtuderant. »

7. — In præſenti porro non obiter notandum « occurrit, quod ingenioſe advertit Jansenius, ſcilicet « nullam a Chriſto gratiarum actionem, ſed ſolam « Dei gloriam ſollicitari, non obſtante, quod Samari- « tanus tributum exſolverit gratitudinis : « Dominus « tantum meminit gloriæ Deo datæ, nulla facta « mentione gratiarum actionis ſibi redditæ; quo « ſatis ſignificavit, ſe unice Dei Patris ſui gloriam « quærere ac a nobis quærendam eſſe, non autem « ſe ſpectaſſe hominum applauſus et laudes, ſibi « tanquam homini attributas; » non dicit : *Qui* « rediret et daret gloriam mihi, ſed *Deo* : omnes nam- « que Chriſti actiones majorem ſpectabant Dei Patris « gloriam. In quo denique illa gratiarum actio, quam « nos Deo debemus, ſituata ſit, hoc laconico qui- « dem, ſed obſervatu digniſſimo documento inſinuat « Chryſoſtomus, *Hom. III in Matth.* : « Hoc eſt referre « gratias Deo, peccata ei propria confiteri. »

Niſi hic alienigena.

8. — Juxta opinionem Lyranum : « In hoc ſigni- « ficatum fuit, quod Gentiles venturi erant devote « ad Chriſti fidem, Judæis remanentibus in ſuo « errore. »

9. — Optime in præſenti commentatur Lucas « Brugenſis, hæc nimirum Chriſti verba non deſpec- « tum, ſed commendationem potius et laudem con- « tinuiſſe Samaritani : « Alienigenam vocat Jeſus, « non contemptus cauſa, ſed ut reliquorum culpam « amplificet, quod is Deo gloriam dederit, a quo id « minus, quam a cæteris exſpectandum fuerat. »

Multum homines mundani, a Deo beneficia conſecuti, « majorem ſæpe ſæpius ei gratitudinem exhibent, « perfectiusque communicato ſibi coelitus lumini « reſpondent et cooperantur, quam alii, divino « cultui quomodolibet dedicati; propterea tantam « ſibi famam compararunt Zachæus, Chananea, Cen- « turio, Magdalena et plurimi alii, præterquam quod « in ſtatera divina plus valet, et moroſius ponderet « unum etiam hominis ſæcularis opus bonum, quam « multa religioſorum. An non aclus plurimos, eoque « heroicos omnes vita nobis exhibet S. Martini, ab « eo, qua Monacho qua Epifcopo exercitos? quanta « recenſet miracula, quot exhibet virtutes, quot « obſtupenda enumerat merita? nihilominus ſancta « Mater Eccleſia inter omnes, unicum ſolummodo « præ reliquis ſuſcepit, deprædicat, nobiſque repre- « ſentat generoſitatis actum, quo chlamydem milita- « rem diviſit mediam, ut pauperem nuditate operiret, « quod factum præ omnibus aliis ipſe etiam coeleſtis « Paradifus hoc extulit encomio : « Martinus adhuc « catechumenus hæc me veſte contexit. » Quæ « obſecro hujus unius virtutis tot inter innumeras « alias prerogativas tantam ſibi in terris et in caelis « laudem aſcivit? Ratio in promptu eſt; actus hic a « S. Martino exercitus fuit in ætate, vocatione et « profeſſione, jurata quaſi pietatis et compaſſionis « hoſte; tunc temporis Martinus caſtra ſequēbatur; « at militum mos eſt, aliena potius rapere quam « propria largiri; pauperem citius ſpoliare, quam « de ſuis dilare; præterquam quod pro eo tempore « Martinus necdum Chriſtianiſmo imbutus fuerit, « nec in lege Evangelica informatus. Eandem penitus « virtutem exhibet nobis hodie Samaritanus, in com- « parationem Hebræorum, de quo non inconvenienter « aſſeveraverim illud quod de S. Martino affirmat S. « Hieronymus, ad Exuperium ſcribens : « Quis non « dilgat eum, qui ſub paludamento et habitu « militari, agat opera Prophetarum. »

VERSUS 19.

Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te ſalvum « fecit.

Ait illi : Surge, vade.

1. — « *Ait illi, confortans eum* » ſcribit Alber- « tus Magnus, « ad perſeverantiam. » Initialiter equi- « dem omnes decem viros ſe præſtiterant egregios, « vivam præferentes fidem, devotionem, incorruptam « voluntatis ſuæ in divinam reſignationem, humilita- « tem, obedientiam, fiduciam maximam, et ſummam « in Chriſtum confidentiam; ſed ſanitatibus gratia ob- « tenta, omnes ſubito decem, unico excepto, benefi- « ciorum immemores et ingrati terga vertunt, « benefactorem deſerunt, malignique et perversi « Phariſæorum adherent ſuggeſtionibus : ecce tibi « egregium noſtræ in virtute inſtabilitatis et incon-

ſtantie exemplar, qui exitum, proſ dolor, moram « trahimus in bono opere inchoato.

2. — Idem Auctor vocem *vade* ita interpretatur : « *Vade* proficiendo ad Deum et proximorum « fixationem. » Jure ſane meritiſſimo præcipit « Chriſtus Samaritano, ut vadat, quia in ſchola « Chriſti diſcipulus effectus, et ex Samaritano in « fidelem converſus, *fides tua te ſalvum fecit*, intelli- « gere et ſcire debebat neceſſario, non ſufficere « ſaluti fidem et ſine progressu in operibus bonis; « appoſite Salmeron ad rem noſtram inquit : « Nec « fides ſola eſt; ſed conjuncta cum obedientia,

« eundo ad Sacerdotes, et gratiarum actione, cum « reditu et humilitate, in caſu ante pedes Chriſti « et prædicatione gratiæ Dei. »

3. — Tandem ex hiſce verbis Lucas Brugenſis « evidenter deducit, Chriſtum non ſibi ſed fidei « Samaritani miraculum adſcribere : « Fidei Samari- « tani, non ſibi, adſcribit Jeſus miraculum, non « quod ipſe non fuerit præcipuus auctor, nam hoc « ipſum ferebat Samaritani fides, ſed quod fides « fuerit cooperata, præparans Samaritanum et « capacem reddens tanti beneficii. »

DOMINICA QUARTEDECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VI, VERS. 24

24. Nemo poteſt duobus dominis ſervire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum ſuſtinebit, et alterum contemnet : non poteſtis Deo ſervire et mammonæ.

25. Idcirco dico vobis : Ne ſolliciti ſitiis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini : nonne anima plus eſt quam eſca, et corpus plus quam veſtimentum?

26. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater veſter cœleſtis paſcit illa; nonne magis vos plus eſtis illis?

27. Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtatutum ſuum cubitum unum?

28. Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agrum quomodo creſcunt; non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.

30. Si autem fœnum agri, qui hodie eſt, et cras in cibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos, modicæ fidei?

31. Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. Hæc enim omnia gentes requirunt, ſcit enim Pater veſter, quia hiſ omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.

VERSUS 24.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum ſuſtinebit, et alterum contemnet : non poteſtis Deo ſervire et mammonæ.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire.

1. — Albertus Magnus variis, in quodam ſuper « hoc Evangelium ſermone in hac Dom., adductis « motivis, probare allaborat, hominem obligari ad « ſervitium divinum. « Servilis conditio : ipſe enim « de limo nos plasmavit. Chariffima emptio : ſuo « pretioſo ſanguine, de poeſtate diaboli nos rede- « mit : *Empti enim eſtis pretio magno.* Impenſi « ſervitii recompensatio : omnia quæ fecit in carne,

« quaſi quædam ſervitus fuit. Propriæ promiſſionis « obligatio : promiſimus enim in Baptiſmo, quod « ei ſervire deberemus. Quotidiani boni erogatio : « quotidie enim beneficia Dei recipimus, quo « merito deſervire debemus. Aternæ mercedis « expectatio, » eſt motivum ultimum.

2. — Sæpe equidem, ipſa experientia teſte, « duobus dominis ſerviri, obſequiumque præſtari « poteſt; nihilominus indubitata remanet conclusio a « Chriſto facta et ſtabilita, verumtamen in eo ſenſu, « quo ſacri Interpretes eam exponunt; igitur Interli- « nearis habet : « *Duobus dominis inter ſe diſſidentibus.* » Cajetanus vero : « Quatenus duo ſeu « diverſi ſunt; » ſeu ut Dionyſius Carthuſianus « ſcribit : « Non subordinatis, ſeu contrariam volun- « tatem habentibus. » Pariter et Albertus Magnus

« Nemo potest simul in cœlo et in terra thesaurizare. » Lucas Brugensis considerans, quod Christus Deum et divitias, tanquam duo nobis imperantes ad invicem comparet, ita dicit: « Constituit Deum et divites tanquam duos dominos, non quod divitiis sint aliquis dominus, sed quod non secus, ac si essent magnus aliquis dominus, aut certe Deus, ita omni studio, toloque conatu illis serviatur colligendis, adaugendis, asservandis, ita cor illis apponatur, ita spes in eis figatur et felicitas constituitur; quam etiam ob causam Apostolus avaritiam, idololatriam appellavit, res certe indigna, ut rei inanimi, terrene, vili, que servire homini debeat, homo subsit, obtemperet, obsequatur rationalis, libera, nobilis creatura. »

Aut enim unum odio habebit.

10. — Advertit S. Thomas in discursu de diabolo, nunquam fieri amoris mentionem, unde dicit: « *Odio habebit*, id est, diabolum, et non dicit: « *Diliget*, quia diabolum naturaliter diligere non potest. » Eandem quoque observationem habet S. Anselmus, dum ait: « Non dicit: Diabolum diliget, nullus enim est adeo nequam, qui diabolum diligat; sed aliquid diligat, propter quod ejus imperium patitur; » id quod declarat exemplo ejusdem, verbi gratia, qui erga ancillam mali ejusdem domini amore captus, ejus molestiam et crudelitatem libenter patitur, non quod dominum illum diligat, sed in tantum illi servit, in quantum inter domus sue familiares habet ancillam, quam diligat: « Sic aliquis sustinet servitium diaboli, » inquit S. Thomas, « propter divitias. »

Et alterum diliget.

11. — « Deus enim, » inquit S. Thomas, « naturaliter diligitur. » Unde Hugo Cardinalis quoque notat, quod nulla creatura Deum proprie odio habere possit: « Nulla creatura Deum odit affectu, etsi effectus; nec etiam diabolus odit Deum, in quantum Deus est, sed in quantum puniendus est, et sicut latro non odit iudicem, quia homo, sed quia iudex et vindex. » Dionysius Carthusianus quoque S. Augustinum citat, dicentem: « Nullius vere conscientia potest Deum odisse; » et quidem tametsi Christus de Judæis dicit, *Joan.*, xv, 24: *Nunc autem viderunt et oderunt me*; et Psalmista, *Psal.* cxxxviii, 21: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam?* et alibi, *Psal.* lxxvii, 23: *Superbia eorum qui oderunt te, ascendit semper*; Carthusianus tamen ad hæc loca respondet, hæc adhibita distinctione: « Considerando Deum secundum se, et ut causam rerum, nemo eum odit; considerando vero eum ut unum puniorem et prohibentem delectationum et sensualium, multi ipsum oderunt. »

Aut unum sustinebit.

12. — Albertus Magnus motivum considerans, ob quod jugum et tyrannus dæmonis a mundanis et impiis adeo patienter toleratur, dicit, mundanum id facere, « aut ob timorem mandati, quia timet amittere quod sub eo manet; aut propter timorem humanum, quia timet separari a concupiscentiis suis. »

13. — S. Augustinus legit: *patietur*; quia ut impius effreni appetitum desiderio satisfacere possit, libenter se indignis tyranni infernalis verberibus subicit; aut vero ut delectatione sensuali frui possit, reptationis, facultatum et sanitatis jacturam, nec non deposita omni verecundia, se ab omnibus villipendi et digito monstrari haud invitus patitur.

Et alterum contemnet.

14. — Paulus de Palatio verbum *sustinet* molestiis et infestationibus, quas impius a diabolo patitur, verbum vero *contemnet*, Deo ascribendum esse dicit: « Impius, » inquit, « diabolum sustinet et Deum contemnit; pars illa, *unum diligit*, referenda est ad justos; pars vero altera, *unum sustinebit*, debet referri ad peccatores; jam mira-culi loco est quod homo sustinere velit dæmonem, quem cœli sustinere nequeverant, nec suslinere poterat infernus, » juxta illud *Isaie*, xiv, 9: *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui.*

15. — Dionysius Carthusianus ait: « Non dicit: *Alterum odio habebit*, sed *contemnet*, videlicet Deum; quia secundum Augustinum etiam illi, qui non servant Deo, non odium eum, sed spernunt. » In quoniam vero hic contemptus consistat, idem exstaticus Doctor his verbis declarat: « *Contemnit*, id est, non timet Deum, qui quasi de ejus bonitate securus est. » S. Augustinus ait: « Non dicit, odit, sed *contemnit*; nullus enim naturaliter odit Deum, sed præter voluntatem ejus præcepta contemnit. »

16. — « Nota, » inquit Hugo Cardinalis, « quod dicit: *Contemnet*, non odiet; omni enim peccato mortali contemptus est. »

Non potestis Deo servire et mammonæ.

17. — Ad hæc æternæ veritatis protestationem S. Hieronymus omnes avaros, ut oculos mentis aperiant, invitat dicens: « Audiatur hoc avarus, a diabolus, qui censetur vocabulo Christiani, non posse se simul divitiis Christoque servire; » notat autem idem S. Doctor, Christum hic non de illis loqui, qui divitias possident, sed de eis, qui illi serviunt, illarumque se mancipia faciunt: « Non dixit: Qui habet divitias, sed qui servit divitiis, qui enim divitiarum servus est, divitias custodit ut servus;

« qui autem servitibus excessu jugum, distribuit eas ut dominus. » Ad quod probandum Divus Chrysostomus, *Hom.* xxi in *Matth.*, sanctorum illorum Patriarcharum Abrahamæ, Jobi et aliorum exemplum adducit, qui divites quidem, non tamen divitiarum servi erant: « Job erat quidem dives, non tamen pecuniæ serviebat, sed habebat divitias, et iisque ut congruit, imperabat, nec erat famulus earum sed dominus. » Enimvero in quoniam divitiarum servum esse consistat, Jansenius his verbis declarat: « Servit eis, » inquit, « qui animum suum illis apponit, qui earum gratia facit fere, quid quid facit, qui ab eis pendet et felicitatem suam hinc sperat, qui, cum recta ratio dicat, non expendit eas in Dei gloriam, in suam et proximi utilitatem, qui per fas et nefas congregat. » Auctor Imperfecti, *Hom.* xvi, eandem distinctionem, que est inter habere vel servire, iisdem ponderans, dicit: « Si habes divitias et divitiæ illæ non te faciunt superbum aut violentum, sed, secundum quod potes, das impotentibus, dominus es divitiarum tuarum, non servus, quia non te divitiæ tuæ tenent, sed tu divitias tuas; si autem divitiæ tuæ superbum te faciunt aut violentum, et constrictus avaritia, nomini aliquid præstas, tunc servus es divitiarum tuarum, non dominus, quia divitiæ tuæ te tenent, non tu divitias tuas. »

18. — Porro impossibile esse, ut quis Deo simul et divitiis serviat, Carthusianus evidenter probat, dum ait: « Qui enim Deo servit, præfert spiritualia et æterna sensibilibus et transitoriis; qui vero divitiis servit, præfert caduca coelestibus; » quoniam vero modo hominem divitiis servire contingat, idem Doctor declarat, dicens: « Divitiis servire, est inordinato earum affectu ligari, in eis finem ponere, cupiditatis vitio superari atque subesse, a quo autem victus est, ejus et servus est. »

19. — S. Bernardus de avaro scribit: « Terrena esurit ut mendiculus, fidelis contemnit ut dominus. » Lyranus dicit: « Ille, qui in piis operibus divitiis expendit, non servit divitiis, sed magis divitiis serviunt sibi, quia iis utitur, sicut instrumentis ad opera virtutum, » adducitque auctoritatem S. Ambrosii, dicentis: « Sicut divitiæ sunt impedimenta reprobis, ita probis sunt adjumenta virtutis. »

20. — Divus Chrysostomus ad contrarietatem, que Deum inter et argenti ac auri cupiditatem versatur, se reflectens, dicit: « Contraria Christo præcepit, siquidem Christus dicit: da indigentibus; mammona: rape ab indigentibus; ille: pius esto et mansuetus; hæc: crudelis et immanis. » Idem quoque in alia quadam homilia super hæc Evangelii verba, ita scribit: « Hoc loco et animo prorsus toto horrorescamus et corpore, intelligentes istud, quod Christum dixisse memoravimus; ex adverso scilicet Deum aurumque con-

« sistere et componi; si igitur istud sono quoque sermonis horribile est, quanto est horribilius, cum ipsis operibus, tyrannus auri Dei timori præfertur. »

Additiones.

a. — *Nemo potest duobus dominis servire.* In sermone illo quem Dominus in monte habuit, ad reformandum hominem, ejusque affectus, jam dixerat Dominus: *Notite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Cujus doctrine veritatem triplici ratione comprobatur et confirmatur. Primo, nam: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Secundo: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Presenti autem Evangelio adhibet tertiam: *Nemo potest duobus dominis servire.* Ut autem clarius inferat quidnam per duos hosce dominos intellegat, subjungit: *Non potestis Deo servire et mammonæ*, id est, divitiis. Sed ad quid divinus Præceptor ad divitiarum suscipiendum contemptum, tot rationibus, tamque longinquo utitur sermone? Noverat quippe benignissimus Jesus divitiis felicitatemque corporalem animæ periculosam, per quam surdi efflicimur, ne vocem Dei audire valeamus. Unde S. Antonius de Padua ait, *Serm. in Hom. I adv.*: « Sardus dicitur quasi sordidus; habet enim sordes in auribus, quibus oppulenti viæ auditus. Surdi sunt avari et usurarii, quorum aures sunt obturate sordibus pecuniæ, » juxta illud Psalmistæ: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturant aures suas.* Circa que verba idem Sanctus observat, quod sicut aspidi proprium est, ne vocem incantatoris audiat, unam auriculam terræ firmiter affigat, alteram vero cauda sua obturet: « Ita infelix avarus tanto dono nature et gratiæ se privat, qui ne verbum vite rapide rapiat, vel sonum predicantis hauriat, amore pecuniæ jam acquisitæ et cauda, id est, turpi ambitione rei acquiritendæ. » Legatur Propheta Balaam historia, in qua refertur, quod hic Propheta, ad maledicendum populo Dei, a Balac pretio inductus, ut ab e temeritate desisteret, necessum fuerit ut Angelus ad illum cœlestis missus coram eo, ad viam qua venturus erat obstruendum, compararet; imo ut asina quedam in humanas articulatas voces prorumpens, eum reprehenderet; et tamen auri cupiditas, in eo tanta fuit, ut hæc quoque omnia nihil in eo profecerint, ut proinde Philo Hebræus merito dicat: « Avaritia legum contemprix est; tam scilicet humanæ quæ divine, ut nihil omnino vereatur propter aurum. » S. Augustinus autem specialius de hoc Balaam loquens dicit: « Hoc ipso confundens illam dementiam, quod prohibitionem Domini per Angulum factam, transgredi asina non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur. »

b. — *Nemo potest duobus dominis servire; quod*

intelligendum est si illi domini sibi invicem sint contrarii; aliter enim res se habet inter uxorem et maritum, parentem et filium, quibus sepe unus servit famulus. Et ratio est quia Deus vult semper esse solus et absolutus Dominus, nec ullam aliorum dominorum admittit societatem; maxime in possessione cordis humani quod totum sibi dari vult. At vero figura hujusce veritatis maxime expressiva, nisi fallor, fuit illa coram Salomone a duabus matribus habita contentio et controversia quam supra, n. 7, retulimus. Bona mater integrum non divisum voluit filium; ita quoque tunc quænam anima a Deo electa et prædilecta sit agnosceretur, si diabolo consulenti ut cor, inter Deum et ipsum, per affectum dividatur, ipsa non consentiendo, solida in se et constans perseveraverit, nec cor per amorem in diversa dispersum dividi permisit. Hæc historia, Didacus Siella verba illa: *Diligens Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*, exponens, utitur, dum ait: « Non vult Deus cor divisum, sed integrum. Salomon veluti prudentissimus, infan-
« tem integrum et intactum matri tradidit, et
« noluit ut divideretur. Mundus inquit: Dividatur;
« Deus vero contrarium. » Enimvero, si certum et indubitatum aliquid signum nosse desideremus e quo an noster erga Deum amor filialis sit, agnoscere possimus, examinandum nobis cor nostrum erit, videndumque an sit divisum, sive an aliquam illius partem creaturis cesserimus. Quia si simul cum Deo voluptates, honores, aut divitias dilexerimus, manifestum id nobis indicium erit quod Deus a nobis eo modo quo amari cupit, minime diligatur. Unde S. Augustinus ait: « Excludit malum amorem mundi, « ut implearis amore Dei; vas enim es, sed adhuc « plenus es; funde quod habes, ut accipias quod « non habes. » Chrysostomus vero propinquius ad propositum nostrum accedit dicens: « Homo si « Deus amat, mundum non amat; si autem mun-
« dum amaverit, jam Deum ex toto corde non « amat. » Porro diabolus facit quantum scit et valet, ut vel teneam aliquem in cor nostrum aditu habere possit; optime namque novit, quod nullus sit homo, quantumvis impius, qui ad salutem æternam non aspiret, scilicet insuper difficillimum sibi esse ut nos ab hoc desiderio avertat. Quid igitur facit? Modicum aliquem in animam nostram habere aditum studet et hoc sufficit, ac proinde clamat Apostolus: *Nolite dare locum diabolo*. Eph. iv, 27.

c. — Summopere mirandum est, ut homo eo se duce sinat ut alium præter Deum agnoscat dominum, seque tradat diabolo, tanquam domino, qui tamen sibi servientes adeo crudeliter tractat, ut nihil aliud machinetur, quam quod in hominis cedit perniciem. *Væ terræ et mari quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet*. Apoc., xii, 12. Inimicus

infernalis, vitam hominis brevem esse sciens, omnibus viribus illum dispergere satagit, *sciens quia modicum tempus habet; habens iram magnam*. Nimirum dum hominem ex vilissimo luto plasmatum ad tantam gratiam, favoresque ecclesie videt esse sublimatum, ut Deus illum unione hypostatica dignari, et ad sublimas Paradisi sedes, unde et ipse infeliciter exciderat, sublevare decreverit, omnem suam rabiem in hominem evomere coepit, qui contra Deum se prævalere non posse videt. Sicut enim taurus in sui agitatione graviter se vulneratum animadvertens, vidensque quod furorem suum adversus eum, a quo percussus est, exerere non possit, confictum ex vetustis pannis lineis, vel stramine hominem, ad aves abigendas in agro positum, aggreditur, illumque cornibus, dentibus, pedibusque in millenas partes ferociter discepit, suasque vindictas, hoc modo aliquoties exercere posse sibi imaginans. Ita quoque princeps tenebrarum videns, quod de Deo qui ipsum e celo in profundum abyssi præcipitavit vindicare se nequeat, hominem ad imaginem et similitudinem Dei creatum, Deoque unice clarum, plurimisque favoribus adauctum aggreditur, suamque rabiem in eum, in Dei ignominiam, quantum potest, eique permittit, furibundus exerit.

d. — Tacite occurrit Dominus euidam objectioni, qua avarus tueri se poterat, quod nempe vellet servire mundo et divitiis et non abstinere a Dei obsequio. Hanc autem cogitationem Dominus excludit: *Non potestis duobus dominis servire*. Docuit tamen etiam presenti sermone, qua ratione etiam cum divitiis, Dei quispiam possit intendere obsequio. Dicit enim: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. Homini autem desiderium spectat divitias; ut autem illis in grave suum incommodum cor suum nimis non colloct, docet futurum eum divitem, divitias in celo thesaurisando, ideoque per eleemosynas; et ut illas eo possit destinare, mittit illi pauperes, qui omnino æternam promovent divitum salutem.

e. — Sunt qui serviunt mundo in avaritiæ usura, et Deo in obsequio eleemosynæ, nec pro mundi servitio quidquam lucrantur, quia nimium in datam eleemosynam confidentes, in Dei indignatione, peccata libere committendo persistunt. *Si distribero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, dicit Apostolus, I Cor., xii, 3; que valde considerabiles est propositio, ad eruditionem multorum, qui per eleemosynam se in iniquitatibus suis securus esse posse confidunt, ad Dei gratiam et amicitiam minime attendentes, quibus Apostolus dicere velle videtur: Nequaquam ita se res habet, ut vos existimatis: quinimo, si non solum partem facultatum vestrarum, sed quotquot habetis divitias, pauperibus erogetis, nisi insuper in gratia Dei constituti, cha-

ritate et amore Dei ardeatis, hæc a vobis erogate facultates, ad vitam beate consecutionem, vos nihil juvabunt. *Si distribero*, etc.; id est, ut S. Thomas ait: « Si adest voluntas peccandi mortaliter, nihil « prodest, quantum ad meritum vite æternæ. » Psalmista David, *Psal. cxxxiii, 2*, nos invitat dicens: *Extolite manus vestras in sancto*; ubi S. Hieronymus quaerit dicens: « Quare voluit addere et dicere: *In « sancto?* » Respondetque, id fieri ad distinctionem infidelium, qui etiam sepe manus ad eleemosynam porrigendam extendunt: « Et hæretici videntur « levare manus, » inquit, « et Gentiles, et Judæi; « faciunt enim et ipsi, eleemosynam, si viderint « pauperem, manum porrigunt. Quando Judæus « dedit eleemosynam, nomine tibi videtur levare « manum? Levat quidem manum, sed non levat in « sancta, quia Christum non confitetur. » S. Isidorus se ad misericordiam etymologiam reflectens, dicit neminem mereri eleemosynarii nomen, qui non prius charitatem exonerit erga seipsum: « Misericordia, » inquit, « a compatiendo alienæ « miserie, vocabulum sortita est; nullus autem « alleri misericors potest esse, qui prave vivendo « in se misericors non est. *Qui enim sibi nequam est, « cui bonus erit?* »

f. — Una hasta nemo duobus ducibus inservire potest, uno pileo non possunt simul duo capita cooperiri, nec uno calce duo pedes calcari, et uno oculo celum aspiciere, et terram simul intueri nequimus: sic uno corde Deo et Satane minime servire possimus. *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat et pallium breve utrumque operire non potest*, ait Isaias, xxviii, 20. Sic anima, velut lectus Regem regum Christum et regem super omnes filios superbie Satanam capere nequit, quin alter decidat. Necnon et amor noster, qui pallio recte comparatur, utrumque operire non valet: « Sic cor « hominum, » ait Lyranus, « non potest simul « capere Deum et diabolum, sed suscepto diabolo « per peccatum, exit Deus. » Tunc vero contemnit homo Deum, id est, non timet eum, cum quasi de ejus bonitate securus peccat, Deum scilicet et ejus præcepta, suis pravis desideriis et concupiscentiis postponendo, quia major injuria concipi nequit, nec omnis boni fonti irrogari.

g. — *Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget*, etc. Loquitur hic Dominus de dura servitute, et tyrannide quam homo serviens mundo et peccatis sustinet; maxime tamen secundum præcedentia in Evangelio recitata alludit Dominus ad duram servitatem quam patiuntur divites et avari. S. Augustinus tyrannidem cupiditatis que divitum corda continuo pungit et lacerat considerans, dicit: « O homo qui laboras amando avaritiam, cum « labore amatur quod amas, sine labore amatur « Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, tri-
« tura, tribulationes et obtemperaturus es; quo

« fine? Ut habeas unde impleas arcam, perdas « securitatem. Implesti domum, timentur latrones; « acquisisti aurum, perdidisti somnum. » Tametsi mihi aliquid ostenderit qui Cresco sit ditior, felicior Augusto, nihilominus videtis, quod innumerae anxietates et sollicitudines veluti totidem voraces vultures, cor et mentem ejus continuo dilacerant. Hoc est quod ait Chrysostomus, *Hom. xv de avar.*, ita scribens: « Dolens non terram pro aristis, et « fontes pro fluentis, et montes pro lapidibus, aurum « producere; aliorum sese successibus crucians, et « in communibus bonis animam contrahens, om-
« nem occasione aversans, unde augmentum « sumere non licet, omnia perferens, unde vel « duos oculos corrådere, omnes perosus pauperes « juxta ac divites. » Idem sanctus Doctor, *Hom. ii ad popul. Antioch.*, ait: « Stratis mollioribus jacen-
« tes, multoties totam noctem ducunt insonniam; « divitibus in jucunditate et multa ægritudines « irrumpunt. » S. Basilius, *Hom. vi in dices.*, se hise miseris, tametsi in mari ex butyro et lacte manante natarent, viscerosissime compati dicit: « Quid « faciam? » inquit. Quis non misereatur sic misere « curis obsessi? Ipsa fertilitate miser erat, misera-
« bilis præsentibus et paratis bonis, miserabilior ob « ea, qua adhuc expectabat; non enim proventus « annui fructuonem ei terra ferebat, sed fletus et « suspiria. » S. Bernardinus divitiarum naturam considerans, illas undequaque spinis circumdatam esse fatetur: « Considera naturam divitiarum, et in « eis reperies laborem, timorem et dolorem: labo-
« rem in acquirendo, timorem in possidendo, et do-
« lorem in relinquendo. » D. Chrysostomus proinde divitias servum appellat traditorem, sanguinis et mortis domini sui sibiundum et cupidum: « Non « errabit, » inquit, « qui divitias ingratum servum « dixerit, sanguinis devoratorum et partidarum, « quippe que domino pro gratia cædem referant. » Idem quoque Sanctus alibi dicit: « Nihil divitiis « fallacius: hodie tecum et cras contra te; invidio-
« rum oculis armant, undique hostes sunt contu-
« bernales, inimici domestici et vos possidentes « testes, qui omni modo ipsas infoditis et abscon-
« ditis. »

h. — Qui mundi deliciis, ac diaboli lenociniis indulget, Deum contemnit. Pulchre D. Augustinus, *lib. II de Serm. Dom. in monte*, ait: « *Alterum « contemnit*, dicit, non odio habebit, nullius enim « conscientia Deum odisse potest; contemnit autem, « id est, non timet eum, qui quasi de bonitate ejus « securus est. » Vilis homo dum peccat, ac divinam violat legem, supremam Dei majestatem contemnit. Sed quomodo miser homo non timet tantum Domini spernere? Quomodo ejus justitiæ timore non percutitur? Agnoscat peccator summam Dei clementiam quidem, sed de ejus bonitate securus, in peccandi licentia multam sibi confidentiam assumit.

Et ideo male : nam qui in exemplis in fine resipiscientium confisi, poenitentiam differunt, poenam in die ultionis sibi thesaurisunt. In ultimo tomo S. Hieronymi, in quo Eusebius de morte ejusdem S. Doctoris scribens continetur, sequentia S. Eusebii verba leguntur : « Nonne benignissimus est Dominus qui tantas tolerat injurias a peccatoribus, dans eis temporis spatium, ut emendantur? Sed et hoc noveris, quia sicut benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. Sed forte quis iterum dicit : Vir, qui toto tempore, quo vixit, male fecit, in mortis articulo accepta poenitentia, a Deo veniam obtinebit. Heu quam vana suspicio et falsa meditatio! Vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur a Deo habere indulgentiam unum. » Ex quibus verbis evidenter impiorum colligitur temeritas qui sibi stulte persuadent, se in extremis mortis angustiis, Deum habituros ad votum et ad libitum. Contra quos Doctor Angelicus in hæc verba docet : « Cum opus non sit hominis, sed Dei, fructifera poenitentia, inspirare eam potest, quoadcumque vult, ob suam misericordiam et remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex justitia; sed quoniam multa sunt que impediunt, et languentem retrahunt, periculosum est et interitui vicinum, ad mortem protrahere poenitentiam medium. Sed magnum est, cui Deus tunc inspirat, si quis est, veram poenitentiam. » Indicium profecto manifestissimum est, unde conjici potest hominem aliquem unum pedem in inferno positum habere, parvique æternæ salutis curam æstimare, si eandem salutem, super perplexum quoddam forsitan fundare præsumat; impius enim, cum in profundum venerit, contemnit. *Prov.* xviii, 3.

i. — Non potestis servire Deo et mammonæ. Hanc Evangelicam Christi sententiam, S. Augustinus ad concionatores distinctius extendit, dum eorum avaritiam sic carpit : « Qui propter hoc Evangelium prædicat, ut habeat unde manducet, et unde vestiatur, simul se putat et Deo servire, et mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non posse; ac per hoc ille qui propter ista Evangelium prædicat, non a Deo sed mammonæ servire convincitur. » Quibus verbis S. Augustinus non carpit eos qui ex prædicandi Evangelii commercio, necessaria ad frugalem vestitum et victum recipiunt, sed eos, qui primario fine, esulentas et potulentas delicias, et ambitionem cultum mundantur. Et hi acuta reprehensione digni æstimantur. S. Gregorius Magnus Episcopum quemdam, cujus præcipuum munus est verbum Dei annunciare, hisce verbis movet : « Non plus pecuniæ quam animabus studeas; illud a latere respiciendum est, ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, quia Redemptor noster a Sacerdotis officio non querit aurum, sed

animas. » Apud Isaiam Prophetam, vox Prædicatoris tubæ assimilata fuit : *Quasi tuba exaltat vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum.* « Tubæ autem per quam designatur Prædicator, » ut Hugo Cardinalis ait, « non resonat, nisi vacua; et Prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum. » S. Carolus Borromeus, ex regione illarum quæ intra archidiececesim suam situate, heresi tamen infectæ erant, visitatione ingentem retulit fructum, siquidem omnes illorum provinciarum populi ad Ecclesiam catholicam gremium et obedientiam ab eo fuere reducti; impulsus autem quo homines illi ad fidem et morum disciplinam amplectendam fuere permoti, hic præcipuum erat, quia summopere in eo admirabantur animum ab omni luero temporali alienum. Unde ipsum non de illorum Pastorum numero esse assererant, qui gregis sui lacti solum et lane, aliisque illius fructibus perepiendis inhiaret, sed potius qui liberalibus elemosynis suis pauperum necessitatibus subiret, atque insuper ex censu proprio se sustentaret.

j. — Scholastes Tertulliani, *lib. IV in Marcionem*, optime hanc compositionem mammonæ cum Deo factam esse judicat, dicens : « Bene Dominus mammonam veluti dominum quemdam cum Deo comparat ut ostendat eos qui studio pecuniarum occupantur rei mortuæ servire, cui maxime debent imperare. » Sub pedibus hominum subiecti Deus omnia, hujus sæculi divitias ac bona temporalia; valde ergo durum est ut ipse pecuniæ serviat; nulla enim major miseria, quam servire cui debeas imperare, et illius jugum sufferre cujus tenebas imperium. Talis autem est natura divitiarum, quibus quo quis ditior, tanto est pauperior, quia avarus nunquam dicit, sufficit; nec gaudet, aut fruitur suis divitiis, cum sit servus et mancipium illarum, et ab illis velut dominis suis possideatur. Porro divitem avarum facultatum suarum servam et mancipium esse ac proinde ipsum non iis frui, præterquam quod quotidiana experientia doceatur, sancti quoque Patres concorditer docent. Et quidem Innocentius III, Tantali fabulam memorans dicit : « Tantalus sicut in undis, et avarus ergo in opibus, cui tantum est quod habet, quantum est quod non habet, quia nunquam utitur acquisitis, sed semper inhiat acquirendis. » Unde Sapiens, *Prov.* xii, 7, ait : *Est quasi dives cum nihil habeat, et est quasi pauper cum in multis divitis sit.*

k. — Mammona ac divitiæ, ita ad se cor ac curas avari attrahunt, ut non sinant illa Deo impendi, perfectæque in ipsum dirigi; nam divitiæ dicte sunt, eo quod dividant mentem et ad se rapiant. S. Thomas de Villanova de suis temporibus graviter conqueritur, quibus homines certatim et turmatim felicitatem mundanam omni cum studio et conatu consecrari viderentur : « Quanta mala fecit prospere

ritas et abundantia? » inquit. « Prosperitas facit hominem oblivisci Dei sui; facit eum superbum, facit eum levissimum et mundanum; prosperitas facit vitiosum et inertem contemptorem proximorum; prosperitas replet hominem vitii et peccatis usque ad summum. » In hoc ne umbra quidem aut vestigium aliquid fidei aut characteris Christiani agnoscat.

l. — Impossibilitas serviendi simul Deo et mammonæ non provenit ex sola occupatione in servitio utriusque, sed ex repugnantia circumstantiarum; quia Deus et divitiæ in contrarium trahunt. Nam Deus sibi servientem movet ad superiora; hoc est, qui servit Deo, cogitat de cælestibus et terrena omnia in oculis ejus vilescunt. Divitiæ vero in inferiora inclinant, et qui eis servit semper cogitat de terrenis, et hæc sunt ei pretiosa nimis, pro hisque acquirendis omnia contemnit.

m. — Notandum est hic singulariter, cum D. Gregorio verbum *servire*. Non enim prohibet Deus habere pecuniam, sed illam habere ut dominum, cui serviat. Quamvis enim difficile sit esse divitem sine peccato, multi tamen fuerunt, ut Abraham, Job, qui pecuniis non servierunt, sed illis pecuniæ. Item pecuniæ habendæ sunt, ut nobis sint in obsequio in succurrendo Christi pauperibus, per opera misericordiæ et pietatis.

VERSUS 25.

Idcirco dico vobis : ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini; nonne anima plus est quam esca et corpus plus quam vestimentum?

Idcirco dico vobis.

1. — Albertus Magnus ad personam loquentem se reflectens, illorum verborum sensum esse dicit : « Qui solus scio, veritatem eorum, quæ Deo beneplacent, que nemo scit nisi cui revelo, ego qui secreta Patris scio, dico vobis. »

Ne solliciti sitis animæ vestræ.

2. — Divus Chrysostomus finem nobis exponit, quem benignissimus Salvator in hoc Evangelio habuit, nimirum « ut tyrannidem cupiditatis pessumdet. » Paulus de Palatio considerat, quanta cum sollicitudine Christus pessimam hanc cupiditatis radicem omnium malorum originem et fidelium suorum cordibus eradicare sategerit : « Radice omnium malorum cupiditas, Christus multa verba expendit, cupiens sollicitudinem temporalium a nobis evellere, quia sollicitudo est acus, qua filum in animam ingreditur; ex sollicitudine quidem, divitiarum amor, ex amore apponitur cor, ex corde apposito ingreditur cultus et obsequium mammonæ, Deo vero contempro. »

3. — Sollicitudinis definitionem, Tullio auctore, hanc nobis scriptam reliquit Lucas Brugnensis : « Sollicitudo, Cicerone definitore in IV Tusculanarum est agriudum cum cogitatione. » Lyranus de anxietate et cura tractans, quæ divitiis cumulandis insudat, per eam alterari et perturbari probat hominem, non modo in exterioribus sed et interioribus. Plus docet S. Antonius de Padua, dum evincit hanc sollicitudinem, mortalem esse animæ nostræ infirmitatem, dicit enim : « Sollicitudo mentem perturbatam distrahit, distraclam dividit, divisum diabolus rapit et sic animam interficat. » Auctor Imperfecti operis, *Hom.* xvi, sollicitudinem appellat desperationis filiam, inquit : « Sollicitudo desperationis est filia, quia desperatio sollicitudinem generat. » Reprobatur sollicitudinis vitium Cajetanus ita delineat : « Est dubia anxietas que mens; provenit siquidem ex nulla aut modica fide divinitus providentiæ circa nos. »

4. — S. Thomas, in *Summa*, sollicitudinis effectum hujusmodi assignat : « Sollicitudo importat studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendum; ostenditque a Christo non diligentiam, non laborem, sed solam prohiberi anxietatem; proinde Cajetanus ait : « Non dicit : ne operemini, ne laboretis, sed : ne sollicitemini, quia non prohibetur labor sed sollicitudo. » Advertite, inquit idem auctor, non dicere Christum : Nolite campos et agros colere, aut frumentum in granaria comportare, more volucrum; nequaquam : « Non hoc dicit, nec intendit Jesus. » Id quod fustus prosequitur Auctor operis Imperfecti, dicens : « Solliciti esse vetatur, laborare autem jubemur; sic enim et Dominus loquens ad Adam, non dixit : Cum sollicitudine facies tibi panem, sed cum labore et sudore facies tuam, ergo non sollicitudinebus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis. » S. Anselmus hanc duplicis sollicitudinis adducit distinctionem : « Duæ sunt sollicitudines; alia est rerum, alia ex vitio hominum, ex rebus ipsis oritur sollicitudo, quia panem habere non possumus, nisi seminemus et laboremus; hanc sollicitudinem non prohibet, quia Dominus ait : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Conceditur ergo nobis providentia et labor; sed est, quædam sollicitudo, ex vitio hominum superflua, quando ipsi desperantes de bonitate Dei, frumentum plus quam est necessarium, reservant et dimissis spiritualibus, illis intenti sunt. » Eodem penitus modo discurret Glossa, dum ait : « *In sudore vultus tui paratur panis, sed labor est exercendus, sollicitudo tollenda est; mentem perturbat dum timet, ne aut possessa dispereant, aut elaborata non contingant. »*

5. — Doctor Angelicus sequentem statuit conclusionem : « Temporalium sollicitudo illicita est, si ea, ut ultimus finis querantur et si ad ea

« inquirenda superfluum studium adhibeatur, vel nimium in his timeamus, ne nobis in necessitate deficient. » Evincens autem argumentum, quod multo pro fine habeant bonorum temporalium acquisitionem, deducit inde, quando scilicet eos plus terrenis quam celestibus bonis comparandis insudare videmus; accommode ad intentum nostrum Albertus Magnus explicat, quomodo semen bonum suffocatur a spinis, in quibus Christus nimiam, circa bonorum temporalium possessionem, sollicitudinem designavit: « *A sollicitudinibus et divitiis suffocantur*; fit hoc, quod verbum inter spinas cadens, sollicitudinibus et curis sæculi suffocatur, et non fert fructum, hæcque sollicitudo est, quando tanta habetur cura mundanorum, quod lucra humana præponuntur divinis. » Eandem quoque disordinationem insinuat Paulus de Palatio, inquit: « Quod Dominus damnat hoc loco, id est, quod temporalia quæras, æternorum oblitus, ita curare hæc que videntur, ac si nihil essent æterna. »

6. — Prædicta verba interpretans S. Augustinus, *lib. de oper. Monach.*, Christum inferre voluisse dicit: « Ut non ista intueantur et propter ista faciant, quidquid in Evangelii prædicatione facere jubentur. » Alia ratio, sollicitudinem bonorum temporalium reprehensibilem esse demonstrans, a S. Thomas assignatur dicente: « Propter superfluum studium, quod apponitur, propter quod homo a spiritualibus, quibus principalis servire debet, retrahitur. » Novistas utique causam, propter quam lux obscuratur et offuscatur in eclipsi; mirum quia terra inter solem et lunam sese interponit; ita pariter bonorum temporalium anxietas, quæ sese Deum inter collocaet et animam nostram, magnam cordium nostrorum inducit cæcitate, plurimamque lucem et bonorum æternorum destruit notitiam; exemplum capite similitudinis in speculo, hic namque offuscato et obvoluto opposita nulla imprimatur imago, ita pariter intellectus noster, terrenis involutus negotiis et curis, imaginem nequit recipere hominis celestis. « Non explodit operari, » dicit Theophylactus, « sed seipso tolens curis tradere et negligere Deum, hoc est, quod prohibet. » Conclusionem Jansenius discutit Evangelicam, quæ sollicitudinem inculcare nititur omnibus nobis acquirendi regni celestis; unde manifeste deducitur quænam sollicitudinis species a Christo condemnatur; dicit itaque: « Satis significat, qualem sollicitudinem prohibeat, nimirum quod impedimentum præstat ne quis regnum Dei et justitiam ejus quærat, quemadmodum oportet. » Motivum tertium, propter quod sollicitudo ista prohibeatur, indicat idem S. Thomas; nimirum ex parte timoris superflui, quando scilicet aliquis timet, ne faciendo, quod debet, necessaria sibi deficient. » Unde Lucas Brugensis explicans, de

qua Christus sollicitudine loquatur, scribit: « Sollicitudinem vetat immodicam illam et anxiam, qua totus in hoc est homo, ut de rebus vite necessariis sibi prospiciat, nihilque Deo commendat, nihil divine providentiæ relinquit, tanquam id solum ipse curare et possit et debeat. » S. Thomas supra illa Apostoli verba: *Nihil solliciti*, ita commentatur: « Sollicitudo quandoque importat diligentiam quærendi, quod deest, et hoc est commendabile, et opponitur negligentia; quandoque anxietatem animi cum defectu spei et timore de obtinendo id, circa quod sollicitatur et hæc prohibet. » Hæc nostra in Deum diffidentia, duos in nobis malos causat effectus; primus consistit in eo, quod homo necessitatibus suis provideat superflue cum quodam mentis angore et vitio, dum scilicet sub hoc necessitatis supplicande pretextu, prædam se facit avaritiæ; secundus est, quod nimirum pusillanimitas ista, adeo omnem nobis suffert affectum et occupationem, ut nihil de animæ salute, nihil de bonis æternis acquirendis cogitare libeat.

7. — Paulus de Palatio ita Salvatorem mirandum interrogat: « Quid, Domine, num providentiam damnas? num prudentiam humanam a tuis expellis? » Respondetque multipliciter ipse auctor; primo, quod Christus in presenti suo loquitur Apostolos et discipulos, per totum terrarum orbem, Evangelii prædicandi et divulgandi causa alegandos: « Qui cum sarcinam verbi divini ubique ferre debeant, liberi a curis esse debent, » ne penuriam timentes ab officio predicationis abstineant. Secundo id Christum omnibus etiam dixisse, affirmare posse existimat, volens namque Dominus ex cordibus nostris nimiam eradicare anxietatem et bonorum temporalium cupiditatem, incurvas versus terram mentes nostras sursum in cælum retorquere satagebat: « Similiter fecit Dominus, ac « facimur, qui virgam recurvam, in rectum flectere contendunt, in diversam partem, eam reflectentes; ita Dominus a cura secularium rerum, omnino nititur corda nostra divellere, ut vel hæc ratione minus illas curemus. » Tertia responsio ejusdem auctoris est, in tantum a Christo prohiberi bonorum temporalium sollicitudinem, in quantum hæc obstaculum esse potest in servitio divino; præmiserat enim Dominus: « *Nemo potest duobus dominis servire, Deo et mammonæ*; non igitur vos vobis sollicitos, veto tamen, si hæc sollicitudo mamonæ servire coegerit. » Quarta solutio est, hoc Christi dictum, vim solius habere consilii, nullam præcepti, non enim ex verbis Christi evincis potest grave aut supplicium aut penam æternam contrafacientibus destinatum esse: « Non enim damnatio nis verba aliqua profert, sed dulcedinis et cum nimis dure loquitur, ita dicit: *Modice fidei*; et « modica fides non est mortalis. » In quinto tandem

et ultimo responso, declarat auctor, quænam sollicitudo a Christo fuerit improbach, quæ non; dicitque, *Serm. I in hoc Dom.*: « Sollicitus dicitur, qui a sollicitudine sua remedium pendere putat; at, qui nihil omittit operæ quæ minus assequatur, quod optat, expectans tamen operæ suæ successum a Deo, is jactavit vere cogitatum suum in Domino et hæc est conditio piorum. » S. Bonaventura hæc compendiosam simul et nervosam adhibet interpretationem: « Reprehenditur Christianorum sollicitudo, avaritiæ, non providentiæ. »

8. — Multis ex circumstantiis, bonorum temporalium sollicitudinem, vitiosam fieri posse et reprehensibilem probat Jansenius: « Primo, si prepositero ordine, pro quibusdam rebus simus solliciti, » ut si quis concionaretur, victus lucrandi gratia; « secundo, si sit superflua, ut si pro pluribus simus solliciti, » quam necessitas vel honestas personæ postulaverit; « tertio, si sit preoccupata » ut si hodie nobis providere vellemus de iis, quæ tempore futuro necessaria erunt, suoque commode tempore comparari possunt; « quarto, si sit anxiosa et timida; ut, dum quis variis in seipso distrahitur cogitationibus, de futuro operationum et laborum suorum eventu, metuens anxie, ne non consequatur, quod erit vite necessarium. »

9. — Euthymius ex hisce Christi verbis tale format argumentum: Si Christus nobis sollicitudinem prohibet etiam in necessariis, « quam sperabimus veniam, cum de his etiam, quæ necessaria non sunt, anxii simus. »

10. — Dionysius Carthusianus hæc nobis salutarem in presenti facit admonitionem: « Nolite solliciti esse cum inquietudine mentis, impediende pacem internam et libertatem cordis in eo. »

Quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini; nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?

11. — Juxta mentem S. Thomæ, Christus hoc discursu, forti velut argumento ulitur, ut a nobis nimiam non modo superfluarum sed necessariarum rerum sollicitudinem tollat; quasi proinde Christus diceret, inquit Angelicus Doctor: « Qui dedit materiam, dabit minoram; sed Deus dedit animam et corpus, ergo qui dedit hæc, servabit ea. » S. Antonius de Padua dicit: « Qui formavit carnem alimentis egentem, quomodo non etiam alimenta præstabit? » Vult quasi Christus nobis in memoriam revocare, scribit S. Augustinus, *lib. de ser. Dom.*, c. xxii, longe excellentiora et quocumque tum nutrimento, tum vestimento pretiosiora, a Deo nobis in creatione donata esse, animam scilicet et corpus: « Meminerimus, multo amplius nobis Deum dedisse, quando nos fecit et composuit ex anima et corpore, quam est alimentum et tegumentum,

« quorum cura non duplicare cor non vult. Nonne, » inquit, *anima plus est quam esca?* ut tu intelligas, « eum, qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum et corpus, quam vestimentum. »

12. — Ad eam porro, quæ in presenti fieri possit, objectionem, in casu scilicet, quod hæc promissio non adimpleretur, ita respondet Glossa: « In his promissis veritatis nemo dubitet, » at immediate subdit: « Sit homo, quod esse debet. »

13. — Perpendens Albertus Magnus, animam et corpus ex merito Dei dono et liberalitate, sine labore, sine cura et industria nostra, nobis concessum esse, ita concludit: « Ergo multo magis addet ea, que propter animam et corpus creavit; scilicet, quia sine victu et vestitu esse non possunt et omnia propter hominem creavit. » Idem quoque nobis scriptum reliquit Theophylactus in hæc verba: « Qui majus dedit, nempe animam et corpus ipsum formavit, non dabit alimentum et indumentum? »

14. — Paulus de Palatio nos in sensu morali instruit, prius animæ, postea corporis cibum quærendum esse: « Si anima est plus quam esca; quærite prius cibum animæ, quam indumentum; quærite primum vitam æternam corpori, quam vestem; postquam enim potior debet esse cura. »

15. — Nililominus apposite observat idem auctor, Salvatorem, cujus hæc sunt verba, ipsimet esse animarum nostrarum cibum et vestimentum, proinde ita Dominum compellat, inquit: « Sed libet te, Domine, interrogare. Tu ipse dicis: *Ego sum panis vite*; tu igitur esca animæ es. Et Paulus dicit: *Induimini Dominum Jesum Christum*, tu igitur vestis nostra es; si igitur anima est plus quam esca, num est anima potior quam tu? imo « etsi corpus est veste melius, eritne melius te, qui corporis nostri vestis es? An dedignaris minor nobis esse? plane sicut placuit tibi minister nosse ter esse et inter nos versari, non sicut qui major est, sed sicut qui ministrat et ita placuit hæc ratione minor videri, quod cibus et vestitus noster « esses. »

Additiones.

a. — *Ne solliciti sitis animæ vestrae*, etc. Noverat optime Christus Dominus familiarem hæc maxime esse demonis tentationem, quæ nimiam erga corpus nobis ingerit sollicitudinem, contra quam ut nos armet dicit: *Nolite solliciti esse*, etc. De corpore enim quod inimicum est animæ, semper solliciti sumus.

b. — Totum præsens Evangelium in reprehendenda superflua sollicitudine temporalium est, et in nobis recommendanda paterna illa Dei providentia, quam in omnibus etiam minutissimis erga nos habet; de qua Tertullianus, *lib. IV in Marc.*, sic ait: « Quis enim nollet nos curam agere animæ

« de victu, corporis vestitu, nisi qui ista homini « ante prospexit? Et exinde præslans, merito cu- « ram eorum, tanquam æmulam liberalitatis sue « prohibet. » Quia Propheta Regius variis in occa- « sionibus divinæ providentiæ expertus fuit effectus, « ideo Psal. xxxiii, cecinit: *Beatus vir qui sperat in eo. Timeat Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timeantibus eum. Divites egervunt et esurirunt, inquirentes autem Dominum non minuuntur omni bono*; hæc dicitis, David suos ad se accessit filios, eosque modum edocuit, quo se a Deo semper bene providendos esse sperare poterant: *Venite, filii, inquit, audite me; timorem Domini docebo vos. Et paulo post scribit: Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. S. Joannes in Epistola prima, iii, 21, ait: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, ut quicquid petierimus, accipiamus ab eo. De provida Dei manu Regius Psalles quidem ait: *Aperis tu manum tuam et implet omne animal benedictione. Harum tamen benedictionum copiosius participes fiunt illi, qui ad eandem se per bonam conscientiam disponunt. Jeremias, xvii, 7, inquit: Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus*; ubi is qui hæc vivam in Deum fidem seu fiduciam habet, viri nomine appellatur, quia « vir a virtute. » *Benedictus quoque dicitur, quia ut idem Propheta paulo post subjungit: Erat quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit cum venerit æstus, et erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructus.**

c. — Heu misera hominum stultorum anima, quam vacua in eis es, quam inanitas? Tam improvidi sunt circa tua bona homines, ut nihil non meditentur corporale. Et quasi suam animam habeant, nihil præter escas et cibos corporis requirunt. Quam maculam Israelitis inurit Psalmista, Psal. lxxvii, 48, dicens: *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Quanta autem hæc tentatio, quod famelicis peterent escas? Nonne et pulli corvorum invocant eum, ut escas tribuat? Cur ergo Israelitæ famescerent offendunt, eo quod escas petant? Magister sententiarum rationem offensionis non in eo ponit, quod peterent escas, sed in eo quod animabus suis peterent escas corporales; nec unquam corporis, et alteram animæ mensam expeterent, sed una eademque mensa, et corpus et animam vellet saginare: « Petunt vitæ « sue carnales escas, non spirituales, » ait Magister. Utinam homines constantes corpore et spiritu et corpori et spiritui suas cuique mensas expeterent, alteram spirituales, alteram corporales! Verum, proh dolor! majori sollicitudine bona temporalia, et salutem corporis, quam spiritualia et bonum animæ homines curant. Consideratisne aliquando infinitam illam sollicitudinem, qua homines lucra venantur temporalia, vel honores,*

divitias, voluptates et similia terrestria? Pro illis acquirendis nullam sinant præterire occasionem, quoniam illam sine mora amplectantur. Dissoluti illi juvenes sese mutuo certatim invitabant, dicentes, Sap., ii, 8: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant; utamur creatura celeriter. Vindictam spirantes, occasionem nullam sese vindicandi negligunt, Herodiades, ut se de Joanne Baptista vindicaret, quomodo caput ejus a filia sua postulari voluit? Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. S. Gregorius Nazianzenus sine fructu perorabat dicens: « Ad scelus quidem et ad fraudem tardus eris; celer autem ad salutem. Paria enim in viro sunt promptitudo ad vitium et procrastinatio ad salutem. » Date mihi ambitiosum quemdam, ad honores et dignitates suas adaugendas ex industria ab alio invitatum, nequaquam oblatam sibi occasionem differret, sed sine ulla replica acceptabit, ne ab æmulis suis inde arceatur. Quando Laban offerebatur consilium illud, in Genesi, xxx, descriptum, notanda est quæ ibi specificatur circumstantia; dicit enim textus sacer: *Respondit mihi cras justitia tua, quando placidus tempus advenit coram te, etc.* Cujus sollicitudinis mysterium Abulensis sic explicat: « Quia tantum « lætabatur Laban, intendens lucrari ex illo pacto, « quod noluerit dilatare hujusmodi rem in alterum diem. » Quam merito ad confusionem nostram dici potest: *Filiis hujus sæculi velociores sunt filii lucis.* Homines enim mundani velocissimi sunt in acquirendis bonis, nos vero, ad comparanda celestia et æterna bona pigri sumus et tardi: « Omnis ars sæculi hujus, » inquit S. Isidorus, « strenuos amatores habet et ad exequendum « promptissimos, non vero item Deus; hic enim « plerosque habet sectatores languidos, tepidos ac « pigritie inertia congelatos. » Homo aliquis lucris deditus, quam est ad omnia emolumenta promptus et paratus, et nequidem momentum ab illic conquirendis sibi perire sinit. « Quid procrastinatis? » verba sunt S. Ambrosii, quibus improperat iis qui divinis inspirationibus respondere negligunt; « si « aurum tibi offeram, non mihi dicis: Cras veniam, « sed jam exis. Aurum accipere nemo differt, « nullus excusat. Redemptio animæ promittitur et « nemo festinat. » Exporimur quotidie quod res valde pretiosas unusquisque, quamprimum potest, assequi conetur, quia tritum est proverbium: « Omnis mora tribuitur vitio; » et poeta ille canit: « Nescit verus amor moras. » Nostra autem ad Deum conversio et penitentia, per quam regnum Celorum acquirimus, de die in diem, imo de mense in mensem, et de anno in annum procrastinatur; imo et magna Christianorum pars penitentiam ad ultimum usque vitæ periodum reservat. Id quod indubitatum est signum, quod illam abominemur; siquidem illam tanquam rem a nostro genio alle-*

nari lotis viribus fugimus. Ac proinde qua ratione fieri poterit, ut illam in extremo articulo mortis validam efficiamus, ac ut quod unice requiritur, sit voluntaria et e corde procedat? Hoc enim difficile fieri poterit quoad illum qui per totam vitæ suæ ætatem animi aversionem ac repugnantiam ab illa habuit. Reflectendum quoque nobis est ad summam sollicitudinem, qua dum informamur corporis nostri salutem prospicimus. Nam ut S. Gregorius Nazianzenus, Orat. xi, dicit: « Absurdum « fuerat, cum pecunias avidè præcipias, sanitatem « in longius differre atque extendere; cum corpus « præpures, animæ purgationem ad aliud tem- « pus reservare. » Mox ut infirmaris, non tardas vocare medicum, qui priusquam malum vires majores accipiat, et in malignam febrem degeneret, opportuna tibi remedia præscribat. Quam parum vero in comparatione ad illam sollicitudinem, æterna salus nostra curatur? Febris peccati, que in anima malignatur, cum quanta lentitudine curatur? Numquid confessio per septimanas et menses procrastinatur?

d. — Damna hic Dominus non ipsa temporalia, non ipsam escam et potum, sed nimiam erga eandem sollicitudinem. Sollicitudo autem dicitur quamdam nimiam curam superfluum quam hic velat Dominus. S. Remigius, in *cap. iv ad Philp.*, ad illa verba: *Nihil solliciti estis, ita ait: « Sollicitudo est « superflua cura; sed justi non debent superfluum « curam assumere de rebus transitoriiis, » ut iis nempe abundant, sed cum necessariis contenti sint; sic quoque vult Deus, ut cibus corporis suppeditetur necessarius, non superfluus. Salvator noster se corpus nostrum cum tali symetria plasmasse et organizasse sciens, ut quamdiu in hac presenti vita respiramus, alimento indigeamus, ideo in oratione quotidiana Patrem nostrum colestem sic orare docuit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Notandum vero, solum a nobis panem petendum esse, et nihil amplius; quod gulosi homini nimis frugale alimentum videri posset. Cur enim Deus in erogandis homini bonis creatis adeo liberalis, imo prodigus semper extiterit, ut David dicere non dubitaret, Psal. vii, 8: *Omnia subieci sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris; cumque nos paulo ante ad integrum regnum cœlestem postulandum his verbis invitari: *Adveniat regnum tuum; cur igitur dicere posset gulosos, manum illam de qua scribitur, Psal. cxlv, 16: *Aperis tu manum tuam, et implet omne animal benedictione, ita stringit, ut nos solum panem, et nihil aliud postulare præcipiat? S. Thomas dubium hoc solvit, inquit: « Non docuit delicata petere, non exquirere sita, sed panem, sine quo vita hominis duci non « potest, juxta illud Eccli., xxix, 28: *Initium vitæ « hominis, aqua et panis.* » Deus protoparenti nos-****

tro, et una cum ipso universe humanæ progeniei dixit: *In sudore vultus tui veseris pane tuo, ubi etiam solus panis fit mentio, non vero alterius cibi; aut vero, si cum S. Augustino, in Epistola ad Probam, nomine panis sufficientiam vitæ intelligamus, adeoque hanc petitionem ad aliud aliud, præter panem, extendere velimus, ad minus hoc intelligendum erit de sufficientia, non vero de superfluitate victus, ut videlicet tantum petamus quantum corpori sustentando sufficit. Deus S. Eliam servum suum sustentare volens, unicuique tantum panem ei transmisit; S. Paulo primo eremitæ, per multos annos quotidie solum modicum panem, et non amplius per eorum deferri fecit; solum quo tempore S. Antonium hospitio exceperat, integrum ei panem misit, ut ambo sustentari valeret; et tamen ipse ille Deus erat, cui ab ingrato Hebræorum populo dictum fuerat: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* quique pro suo libitu eidem populo et cœlo dimittebat annonam cœlestem et coturnicum delicatissimas carnes. Nimium erga hos charissimos servos suos, Eliam, Antonium et Paulum exhibere voluit verum esse quod Nyssenus ait: « Panem pete, « propter vitæ necessarium usum. »*

e. — S. Lucas hanc eandem sententiam referens ait: *Dicit ad discipulos suos. Cum ergo discipuli Jesu ab eo essent constituti Prælati, Pastores ac Doctores Ecclesiarum, vult Dominus ut sollicitam curam de esca deponant, ob damna et ruinam, que in republicam ex erapula rectorum resultat. Ecclesiastes, x, 16 et 17, sic ait: *Væ tibi terra cujus principes mane comedunt; beata terra cujus rex nobilitatis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.* In Hebræo, ut Cajetanus notat, dicitur: *Comedunt in fortitudine, non in potatione.* Ordinatur enim comedere ad servandum robur corporis, et non ideo comedendum « est, ut vacuum potationibus; intemperati enim « comedunt ea que provocant delectationem potus, « et convivia celebrant ad potandum, non ad reficiendum corpus. » Julius Cæsar, qui primus Romanum obtinuit et fundavit imperium, cura, vigilantia et sobrietate negotia publica tractabat; de quo proinde Cato inquit: « Unum ex omnibus « Cæsarem ad everendum rempublicam sobriorem « accessisse. » Ipse enim super republica ruinam erexit imperium. Augustus quoque successor ipsius, qui in monarchia sua, universali gavissus sine pace et tranquillitate, totum diem, a mane usque ad vesperam sine cibo transigebat, ut gratam omnibus daret audientiam. De Alphonso Aragonie rege historia narrat quod causam interrogatus cur adeo astemius esset, responderit: « Vimo sapientia ob- « scuratur; ideoque non decet regem, ut hæc im- « potioris ac regis nomen rite tueri non potest. »*

f. — Discipuli omnia sua pro Domino abjecerunt ac reliquerunt, et imposterum a se omnium rerum possessionem abdicantur; et inde maxime videbantur expositi periculo sollicitudinis eorum quæ necessaria erant ad vitæ alimentum, magis quam ii qui res suas non dimiserant; ideo ad eos Dominus hanc sententiam profert, ut quieto stent animo, cum sub cura sint cælestis Parentis; nam rerum temporalium pro Domino abjectio, quod potissimum fit in liberali erogatione elemosynæ, magnum est omnium honorum incrementum. Elemosyna enim quamdam sanctæ et lucrosæ speciem habet. « Demus in usura, » inquit S. Augustinus, « sed Deo non homini. Ei damus qui abundat, ei damus qui dedit quod demus; se promittit, qui promittit. Si amas illum, eme illum ab illo, et tu noveris te ipsi dare; audi illum dicentem: *Esuri et deditis mihi manducare*; hic das, ibi recipis. » S. Joannes Damascenus quoque elemosynam usure nomine appellat, dicens: « Qui facit misericordiam feneratur proximo suo, et qui prævalet manu, servat mandata. » Divus Chrysostomus in quadam homilia eidem usuræ metaphore insistens, de hac materia, per ingeniosam observationem ad longum discurrit, dicens: « Quare dicit Deus, *michi feneratur qui dat pauperi*? Quoniam quidem nostram vidit avaritiam ad incrementum tendere et habentem pecuniam, nisi tuto non foneraturum, nec velle fenerari, postulat enim fenerans hypothecam, vel pignus, vel sponsores, nihil enim ipsi præ inopia creditur, et videt eum periclitantem inopia, atque una pecuniam habentes, propter sævitiam pessum abire, medium sese ingessit, eadem quidem pauperi, pignus vero feneranti. Non credis huic propter inopiam, inquit, mihi propter divitias credere; semetipsum dedit pignus nihil habenti. »

g. — Noverat Christus Dominus familiarem hanc maxime esse demonis tentationem, qua nimiam erga corporis, per cibum et potum etiam superfluum refocillationem, nobis ingerit sollicitudinem. Serpens enim astutus ad prosternendum hominem inter omnia alia vitia gulam elegit, quia per hanc nos disponit, ut suis facilius cedamus tentationibus; quare in cautela non immerito dicit: *Nolite solliciti esse*. S. Basilius, *lib. de abdicatone rerum*, ita nos admonet: « Cave ne te adversarius simili atque primum parentem peccato circumveniat, circumventumque, quamprimum de Paradiso deliciarum expellat; nam et illum callida escæ objectione ita malignose vitæ spoliavit, et item Jesum eodem se modo supplantatum sperabat; nihil est, quod is vereatur, quin et tanto ausit confidentius tibi quoque primam malorum originem propinare. Etenim præsentissimum prodesse illi venenum intelligit. » Notandum autem quod tanto importunius nos per gulæ impugnet

vitium quanto minus homo absque cibo sustentari valet. « Serpens iste gulæ designat aviditatem, » inquit S. Gregorius, « qui et respectu justæ necessitatis et virus impiæ delectationis spargit. »

h. — *Nonne anima plus est quam esca?* Multis pius Dominus et Magister Jesus, isque effcacibus rationibus, superfluum, maxime vero circa escam sollicitudinem a nostris cordibus excludere nititur, sed cur tot rationes, tot motiva adhibet? Respondetur, quod Dominus rationes adhibet, non propter se, sed propter nos, quia tanta est aviditas et insatiabilitas gulæ, ut ei nunquam satisfaciat, etiamsi venter plenus existat; maximeque crapulantium præ cæteris est sollicitudo; ideo contrarium merito tot rationibus persuadere debet.

i. — Hoc non immerito in jam citato textu advertendum, quod quamvis per escam cibum materialis intelligatur, tamen Palatius, hoc loco, et Benedictus Fidelis, in suo *Paradiso Eucharistico*, per escam moraliter sacratissimam Eucharistiam interpretantur. Sed tunc urget difficultas, quando anima dicatur plus quam illa divinissima esca; nam anima nostra entitate sua inter substantias spirituales in humili gradu reponitur, in sacra autem Eucharistia est Deus, qui est super omnia. Respondet Palatius: « Plane sicut placuit tibi ministris noster esse, et inter nos versari, non sicut qui major est, sed sicut qui ministrat, illa placuit hac ratione minor videri, quod cibis noster esses. » Summa Dei benignitas ac misericordia, cum nobiscum versaretur in terris, non indignatus est, se nobis exhibere ministrum; nunc vero residens in cælo, animarum nostrarum cibum effectus, quodammodo infra nos se dimittens ac humilians, nobis vitam spiritualem, omniaque cælestia dona ministrat.

j. — Septem Dominus in præsentii Evangelio rationes apponit ut temporalium sollicitudinem a nostris cordibus amputet; cur autem Dominus tot adhibet rationes, cum ea que ab ipso sunt dicta, majoris sint auctoritatis, quam quælibet humana ratio? Respondet Albertus Magnus, quod Dominus ponit rationes, quia cupiditas divitiarum ita menti minuscuque effixa est, ut etiam timorate conscientia hominibus tenaciter adherescat, nec cum ætate simili consenescit, sed adeo potius, quin adeo difficilius eradicatur, ut speciali ad id auxilio Dei opus sit.

VERSUS 26.

Respiciite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt; neque congregant in horrea, et Pater vester cælestis pascit illa; nonne magis vos pluris estis illis?

Respiciite volatilia cæli.

1. — Observat Auctor operis Imperfecti, *Hom.*

xvi, Christum duo fecisse argumenta, alterum a majori ad minus et alterum a minori ad majus; primum erat: « Quomodo si animam dedit, escam non dabit? si corpus plasmavit, vestimentum non providebit? » secundum fundatur in præsentii avium comparatione: « Si avibus præstat alimentum, hominibus non præstabit? si illæ non laborantes inveniunt escas, homo non inveniet, cui Deus dedit et operandi sapientiam et fructificandi spem? Omnia enim animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se; si ergo animalibus ministrat propter hominem, hominibus non ministrabit propter seipsum? quanto pretiosior hominis creatio, quam animalium; quanto major sollicitudo Dei de hominibus, quam de animalibus. »

2. — Ingeniose advertit Lucas Brugensis, sapientissimum Magistrum notanter dicere: « *Volatilia cæli*, ad differentiam volatilium, que domi aluntur humana cura, addit: *cæli*. »

3. — « Rubore suffondor, » verba sunt Pauli de Palatio, « hoc Domini verbum audiens. » Ergone homo, creatura adeo nobilis, ut omnes alie creature, etiam aves, illi subiectæ fuerint: *Omnia subiecit sub pedibus ejus, oves et boves, volucres cæli et pisces maris*, ad imaginem Dei creatus, hincque ad volucres, tanquam ad magistras discipulus ablegatur? *Respiciite volatilia*. « Consolabor tamen me ipsum, is enim qui me respiciere volatilia jussit, ideo jussit, ut, dum ad volatilia cæli oculos erigo, ad cælum erigam, imo ad Deum potius, qui multo locupletius me docebit, quam ipsa volatilia. » Perpendit insuper Auctor, Christum non sine magno ratione momenti, solam cælestium, nullam terrestrium animalium mentionem facere: « Ne scilicet, dejectionis ad bestias oculos, terram spectarem et a terrenis oculi detinerentur. »

4. — « Potuisset afferre in exemplum, » ait Theophylactus, *Hom. xii in Matth.*, « Eliam et Joannem, et meministis avium. » Chrysostomus pariter et ipse sedulo discutit, quare nos hodie Christus non ad homines, abunde a Deo provisus, sed ad volucres ablegat pro doctrina capienda? et tandem dicit: « Dignum est, docentis sapientiam magis magisque mirari, qui cum hominum proponere possent exempla, et Moysen et Eliam, et Joannem cæterosque proferre, qui eorum similes, de victu non fuerunt solliciti, ut magis audientium conscientias verberaret, de irrationabilium illos securitate communuit. » Denique etiam rationem adducit auctor, cur Christus noluerit horum sanctorum exempla adhibere, nimirum ne causam haberemus excusandi nos: « Nondum ad eorum virtutis cacumen ascendimus. »

5. — Curiosam aliam propositionem seu questionem format Albertus Magnus, quare scilicet tot inter animalia, solas Christus nobis contemplandas

exhibuerit aves, cujus rei diversas ipse rationes adducit: « Primo, quia cibum volatilium magis sparsus et incertus est, quam aliorum animalium, propter quod natura dedit eis aliam ad volandum et pedes ad ambulandum. » Ratio secunda auctoris est, quia aves minus cæteris animalibus, intente sunt colligendis et conservandis alimentis: « Quoniam et gressibilia faciunt thesaurus, sicut mus montanus, et reptibilia, sicut formica; sed volatilia omnino sunt sine sollicitudine. » Tertia, quam adducit, moralis est, desumpta ex S. Ambrosio. « Quia per alitudinem volatus, magis volatilia spiritualibus et contemplativis viris assimilantur. » Advertit quoque Lucas Brugensis, proponi a Christo leones, elephantes, ursos et similia animalia, quibus divina providentia victum abunde disposuit, « sed animalium minima, que cantu fere vacantia et veluti obiter cibum sumentia maxime a sollicitudine libera videntur. » Specifico porro, juxta S. Lucam, Christus corvos in medium adduxit, *Luc.*, xii, 24: *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos; quanto magis vos pluris estis illis; quid hoc rerum?* Non oculos nostros columbæ, non aquilæ, non phœnicis, sed avi rapaci et deformi, peccatoris prototypo, intentos esse desiderat Christus: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, eo quod non habeant cibum?* Assolent corvorum patres et matres, in nido existentes, hunc morem et naturalem habere instinctum, quod, quando vident pullos suos ovis exclusos, in plumis discolors, eos deserant tanquam adullerinos, neque ipsos pro foetibus suis agnoscere velint, usque ad quanto nigrescant; tandem igitur Deus illos sustentat, eorum curam habet, vel suppeditando rorem cælestem, ut aliqui volunt, vel alia via iis providendo: *Qui dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum; alii scribunt, nutrit eos ex vermibus, quos Deus intra ipsum nidum gigni facit; alii credunt sustentari ex fructione circumvolantium muscarum; sit ut sit, saltem modi isti non sunt ad invicem incompatibiles; id ex evangelica nobis veritate constat, quia Deus providet eis; at quanto magis benignissima ejus manus providebit nobis? qui aperit manum suam, etc. Unde S. Cyprianus ait: « Volucres Deus pascit et passeribus alimenta divina præstantur et quibus nullus divina rei sensus est, eis nec potas nec cibis deest; tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis delicto, tu Domino tuo charo aliquid existimas defuturum? » S. Hieronymus comparisonem instituit aves inter et animam Christianam, tale format argumentum: « Quod si volatilia absque cura et ærumnis, Dei aluntur providentia et cæras non erunt, quanto magis homines, quibus ærumnis « promittitur? » In parabola de semine Evangelico,*